Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 21
Quelle:
Copyright:

netur: *Uacat prologus iste qui non debet esse;* agitur vero de Praeloquio quodam ante *Paulinas*, in quo hae recensentur et ultimo loco illa etiam, quae ad *Laodicienses* fertur. Ita etiam *fol.* 323. p. 2. *Apocalypsi* in margine adjecta est *Gilberti Pictav.* Praefatio, quae in *Bibliis gloss.* praesto est.

XIII.

U. 4 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 473. f. min. per duas columnas minutius, ast nitide perscriptus, rubricisque insignis *Biblia* continet *U. T.* e Versione vulgata, quorum Παρεργα sub finem edisseram. Est vero hic Librorum Ordo: *Pentateuchus*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, *IV. Regum*, *II. Paralipomenon*, *Prophetae* majores et minores, iterum *Ruth*, *Esdras* et *Nehemias*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalterium*, *Libri Salomonis*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *II. Machabaeorum.* IV. *Evangelistae*, *Pauli Epistolae*, *Actus Apostolorum*, *Epistolae Canonicae* et *Apocalypsis.* Libri hi Prologis *Hieronymianis*, aut aliis notis Argumentis instructi sunt, et hinc inde in margine secundis curis subpleti aut refecti. *Psalterium* a recentiore manu perperam inscriptum est: *centum quadraginta psalmorum a beato Jeronimo de hebreo in latinam linguam translatum;* versio enim, uti dictum, vulgata est. Psalmi diversos titulos mysticos praeferunt. *Ecclesiastico* subjuncta est absque titulo *Oratio Salomonis* e III. *Reg.* 8. 23. Testimonium triplex I. *Joh.* 5. ita habet: *Quia tres sunt qui testimonium dant Spiritus et aqua et sanguis; et tres unum sunt.* Sed *ro et tres unum sunt*, transfixum est, et in margine jubetur pro *Quia* legi *Quoniam*, et post *testimonium dant* a recentiore calamo inseri: *in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. et hii tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra.* Jam autem, quae Παρεργα dixi, ante *Biblia* quidem partim coaeva, partim subpari manu haec sunt: Index sacrorum Librorum, Liber *Baruch*, Index Epistolarum et Evangeliorum per annum in Ecclesia legi solitorum, ad cujus calcem: *Hunc Librum pro collegio ducali dedit honorabilis vir Antiquus Magister forestarum* (der alte Forstmeister) *domini ducis Alberti Tercij* (cum Trica, ✠ 1395.) *cui dominus in eterna Patria retribuere dignetur;* Recensus *Capitum* Bibliorum, Prologus *Hieronymi* dictus *galeatus*, qui, ut monetur, *habet locum ante principium Librorum Regum*, Secundus Liber *Esdrae*, id est, Tertius apocryphus, Oratio *Manassis* hic tantum inscripta: *Post secundum paralipomenon*, Praefatiunculae in Prophetas minores, prout habentur in *Bibliis glossatis*, usque ad *Sophoniam.* Post Biblia Adparatus iste ita continuatur: Nomenclator biblicus vocum hebr. et graec. Praefatiunculae in Prophetas reliquos minores, *Rabani* ad *Geroldum* in Machabaeos, *Origo dauid regis prophetie psalmorum* &c. Epistola *Pauli* spuria ad